



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio LXXVI. De comparatione huius sacrificij ad alia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)



& vna imago potest esse exemplar alterius, quamuis eiusdem rationis sint. Sexto differunt in aliis circumstantiis, vel physicis, vt sunt tempus, locus, hæc vel illa numero, materia panis & vini, & similes: vel moralibus, vt quod cum hoc ritu vel apparatu fiat: nam in hoc Christus fere nihil adhibuit: quia ipse perse non indigebat, & pro Apostolis, vel non erat tempus opportunum, vel ipsi capaces non erant. Constat igitur satis, rotam hanc diuersitatem accidentalem esse.

Ex his autem satis elicitur, quod vltimo est in conclusione propositum: hæc sacrificia saltem numero differre: nam ea, quæ in actione consistunt, si diuersis temporibus tam physicæ, quam moraliter distantibus, & à diuersis causis, & circa diuersas materias, & in diuersis locis fiant: necesse est numero distinguui: ita vero comparantur hæc sacrificia: nam & in actione consistunt, & inter ea tota illa diuersitas reperitur: ideo non satis est, vt res principaliter oblata eadem numero substantialiter sit, vt sacrificia hæc non distinguantur numero: quin potius in nostro sacrificio plures Missæ sunt sacrificia numero diuersa, vt sumitur ex Leone Papa, epistola 81. solum quia, vel diuersis temporibus, vel in distinctis locis, à diuersis personis offeruntur: ergo multo magis reperitur distinctio numerica inter sacrificium cœnæ, & nostrum sacrificium.

Dico secundò: Nostrum sacrificium conuenit cum sacrificio crucis in re oblata, differit tamen in actione & ritu sacrificandi. Tota conclusio sumitur ex Conc. Trident. sess. 21. c. 2. dicente. In diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & in cruce immolatur, & in ara crucis semel se ipsum cruento obtulit, & infra. Vna enim eademque hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Et prior pars constat ex dictis, disp. præced. section. 1. vbi ostendimus re oblata in hoc sacramento esse eundem Christum, qui se in cruce obtulit: & quamquam in accidentibus, seu situ corporis Christi Domini sit aliqua diuersitas: illa tamen ad rationem sacrificij nil refert, vt ex ibidem dictis, & hic in præced. conclus. facile constat. Posteriorem partem declarat bene Algerus, lib. 1. de Eucharist. cap. 16. quia hac ratione vnum horum sacrificiorum, sacrificium est cruentum, & aliud incruentum: hæc enim diuersitas sumpta est ex ritu sacrificandi, nam sacrificium crucis per realem passionem & mortem oblatum est, non quatenus fuit actio parua interficientiū Christum, sed vt fuit passio voluntarie suscepta & oblata, vt in 1. tom. 3. part. circa quæst. 22. D. Thom. late declarauit: nostrum vero sacrificium absq. reali morte per realem consecrationem & præsentiam corporis & sanguinis Christi per modum mysticæ actionis perficitur. Differunt ergo in ritu sacrificandi: vnde sit, etiam differre in significatione mystica, (quamquam in morali, quæ communis est omnibus sacrificiis, conueniant) nam sacrificium crucis nõ fuit alterius sacrificij representatio, vel imago: sed potius fuit prototypum omnium supernaturalium sacrificiorum: nostrum autem sacrificium, & verum sacrificium est: & representatio illius sacrificij. Præterea differunt aliquo modo in effectu. Nam sacrificium crucis operatum est nostram redemptionem, quoad sufficientiam & aperuit ianuam regni, vt late docuit Paulus in epistola ad Hebræ. Missæ vero sacrificium applicat, quoad efficaciam, fructum illius sacrificij, vt docet. Tridentin. sess. 22. cap. 1. & infra latius dicemus. Ex his autem differentiis secunda de significatione, & tertia de effectu, accidentales sunt, vt facile constabit applicando ea, quæ in prima conclusione diximus.

Circa primam vero de ritu difficultas est, an sufficientes sit ad essentialem, & specificam differentiam inter hæc sacrificia constituendam: nam de differen-

Franc. Suarez Tom. 3.

tia numerica nulla est dubitandi ratio, vt à fortiori patet ex dictis in præcedente conclusione. Quidam ergo Catholici existimant, hanc etiam differentiam in ritu sacrificandi esse accidentalem, non enim audent concedere, hæc sacrificia esse specie & essentialiter diuersa: quia Paulus in epist. ad Hebr. significat, in Ecclesia Christi non esse aliud sacrificium præter illud, quod Christus obtulit: hoc non est verum, si intelligatur de alio sacrificio, solo numero distincto: nam hoc modo, vt certum supponimus, esse nunc in Ecclesia plura sacrificia numero distincta, & inter se, & multo magis à sacrificio crucis: ergo oportet intelligi de sacrificio specie diuerso: ergo illud sacrificium, quod in lege noua est, secundum essentiam & speciem non est aliud à sacrificio crucis: & hoc significare videtur Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. ar. 1. dum ait, nostrum sacrificium esse prorsus idem cum sacrificio crucis. Et ratione confirmari potest hæc opinio, nam essentia sacrificij potissimum sumenda est ex re oblata, & ex motiuo seu ratione, sub qua in diuinum cultum offertur: sed in his non differunt hæc sacrificia: ergo illa diuersitas in ritu est tantum materialis & accidentalis. Maior declaratur in primis exemplo, nam, si quis offerat agnum Deo in gratiarum actionem, quod offerat gladio interficiendo, aut alio modo sacrificando illum, accidentarium erit. Ratio autem est, quia sacrificium est actus religionis: & ideo ex obiecto suo & motiuo, sumere debet speciem & essentiam. In contrarium autem est, quia in primis ex testimonio Pauli nihil ad rem præsentem colligi potest: nam, vt supra vidimus, Paulus loquitur de sacrificio oblato ad redemptionem nostram perficiendam & consummandam: vnde iuxta mentem suam non tantum excludit aliud sacrificium specie, sed etiam numero diuersum: alias non recte concluderet, non esse necessarium aliud sacrificium cruentum, seu aliam mortem Christi: loquitur ergo de vnitatem etiam numerica talis sacrificij, iuxta illud: Intrauit semel in sancta æterna redemptione inuentus: non tamen excludit sacrificium, quod offertur ad applicandam redemptionem iam factam, siue hoc diuersum sit numero, siue specie, à priori sacrificio: hoc enim nihil refert ad perfectionem & sufficientiam illius sacrificij, quam Paulus declarare intendit. Deinde, neq. ratio facta sufficere videtur ad specificam & essentialem vnitatem horum sacrificiorum: alias eodem argumento probaretur, etiam diuersitatem in re oblata nihil conferre ad essentialem diuersitatem sacrificij: quia sacrificium est actus virtutis, qui sumit speciem suam ex motiuo operandi, & non ex re materiali, circa quam versatur, si quis det in elemosynam, ad subleuandam necessitatem proximæ, pecunias, panem, aut vinum: actus elemosynæ erit eiusdem speciei, quamuis res donatæ in suo esse specie differant: sic ergo, si quis offerat sacrificium Deo in gratiarum actione, siue offerat agnum, siue Christum, erit sacrificium eiusdem speciei. Ex quo vltorius sit consequens, nostrum sacrificium non differre specie à veteribus, si sub eodem motiuo virtutis considerentur: & in vniuersum sequitur, omnia sacrificia esse eiusdem speciei, si in eis offerendis feruetur idem motiuum diuini cultus: & ad summum, posse distinguui secundum rationes formales ex illis motiuis supra positis, scilicet, quod vel solum in recognitionem diuinæ excellentiæ, vel gratiarum actionem pro beneficiis susceptis, vel ad impetrandum noua, vel in expiationem & satisfactionem pro peccato fiant. Quæ diuersitas per se magis pertinet ad interiores actus, quam ad externum sacrificium visibile, quod potest idem manens omnes illas appellationes recipere per denominationem à diuersis actibus internis. Hæc autem omnia sunt valde absurda, & præter communem modum sentiendi, & loquendi de sacrificio. Quis enim dicat, nostrum sacrificium esse eiusdem speciei cum veteribus? sacer-

liij dotium

Dubitandi ratio.

Ratio diffcultatis in oppositum.

Idem.

Sacrificium Eucharisticum cum sacrificio crucis in re oblata conuenit, in sacrificij modis differit. Concil. Trident.

Idem.

Dubitum.

dotium namq; plus, quam genere differt: ergo & sacrificium.

*Dubij enodatio.*

Distinctione igitur utendum videtur, potest enim sacrificium considerari, vel precise sub ratione actus virtutis, vel sub ratione externi & sensibilis signi in Dei cultum ordinati. Priori modo procedit ratio facta: & recte concludit, si motuum offerendi idem sit in ratione virtutis, sacrificium etiam esse idem: quia haec ratio magis consistit in interiori actu, quam in exteriori: actus autem interior sumit suam speciem ex motivo operandi: propter quod etiam verum est posse sacrificium externum esse idem, & in ratione virtutis posse diversas denominationes accipere per ordinem ad diversa motiva virtutis, vt in superioribus etiam tactum est, & in sequente sectione amplius declarabitur. At vero, loquendo de sacrificio sub ratione sensibilis signi, prout de eo frequentius loquimur, sic dicendum est, essentiam sacrificij multum pendere ex re sensibili, quae ad offerendum assumitur, & ad significandum imponitur: & consequenter ex ritu etiam sacrificandi, & hoc conuincit argumentum factum. Nam sacrificium propitiatorium legis nouae, & veteris, essentialiter diuersa sunt: & idem est de holocausto, quamuis in motivo virtutis non necessario differant. Item, hoc constare potest ex communi ratione sensibilibus signorum, & rerum artificialium, quae simpliciter ex parte materiae differre censentur, & hoc modo loquela Latina & Graeca censentur simpliciter diuersa, & sacramentis ipsis, quorum essentiam consideramus ex materia & forma, quibus constat. Hoc igitur posteriori consideratione dici potest, differentiam illam in ritu sacrificandi esse essentialem inter sacrificium Christi cruentum & incruentum. Quod patet, quia ille ritus est essentialis, & est omnino diuersus, neq; enim satis est, quod res oblata sit eadem, quia sacrificium non consistit essentialiter in re ipsa permanente, sed in actione circa illam, vnde, si actiones sint omnino diuersae rationis, quamuis circa eandem rem materialiter versentur, erunt sacrificia diuersa, sicut in lege veteri, erat sacrificium (agni paschalis) & sacrificium agni, quod (iuge sacrificium) dicebatur, quae erant essentialiter diuersa ex diuerso ritu, quamuis res oblata esset eiusdem rationis, multo autem maior est diuersitas in presente, inter ritum sacrificandi per realem Christi mortem, vel per consecrationem. Quod autem ita simpliciter loquendum sit, probatur ex dictis: quia sacrificium vt sic, magis sumitur pro ritu externo & sensibili, sicut sacramenta. Item, quia sacrificium nostrum, vnum est propter vnum ritum externum, etiam si propitiatorium, vel laudis, aut holocaustum esse possit, ex diuersis motiuis. Praeterea, quia Sacerdotium est diuersum, iuxta diuersum sacrificandi ritum, etiam si sub eadem ratione seu motivo sacrificium offerre possit: & ita distinguimus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, vel Aaron: ergo similiter sacrificia praecipue dicenda sunt differre ex ritu externo. Quod maxime verum est, quando cum ritus diuersitate aliqua etiam differentia in significatione coniungitur, vt in praesenti contingit, vt satis iam explicatum est.

*Sacrificium Eucharisticum, Essentialiter distinctum.*

Atq; ex his manet etiam sufficienter expositum, quid intersit inter hoc nostrum sacrificium & omnia antiqua: simpliciter enim dicendum est, essentialiter differre: nam, & in re oblata, & in modo seu ritu offerendi: & in persona principaliter offerente, infinite inter se distat: & praeterea significatione: nam illa Christum, & passionem eius futuram: hoc vero Christum realiter praesentem, passionem vero eius praeteritam representat. Atq; hinc oriuntur aliae differentiae in valore & efficacia, de quibus in sequentibus dicturifumus.

*In quo perfectionis gradu sit Missa sacrificium cum alio comparatum.*

**D** Vobis modis possumus perfectionem sacrificij Missae declarare. Primum absolute, in illo considerando omnia, quae ad dignitatem eius spectant. Secundo modo, illud cum aliis conferendo: vtrumque ergo breuiter praestabimus. Circa priorem ergo partem est rursus considerandum, in sacrificio reperiri, vt paulo antea dicebamus, & exteriorum rituum sensibilem, & significationem, & honestatem virtutis. Dicendum est ergo, in his omnibus habere sacrificium Missae maximam quandam excellentiam & dignitatem, nam primo, quod ad ritum attinet, res oblata est infinitae dignitatis: modus autem offerendi in se, & quoad substantialiam suam (vt sic dicam) est maxime supernaturalis & diuinus: quoad sensibilem vero actionem est simplicissimus, mundissimus, & facilissimus: nihil ergo amplius in ritu sacrificandi ad perfectionem eius desiderari potest. Secundo, quod pertinet ad significationem, est etiam in hoc sacrificio suprema, quae esse potest, tam in rebus significatis, quam in modo significandi. Est etiam expressa quaedam, & viva imago passionis Christi: & consequenter Incarnationis, & aliorum Christi mysteriorum: quibus nihil altius & excellentius operatus est Deus. Et (quod mirabilis est) haec ipsa met significatio in media alia actione diuina prorsus ac supernaturali, per quam eadem res, quae vno modo significatur, alio modo fit realiter praesens, & sub eisdem signis sensibilibus contenta. Vnde etiam fit, vt diuina virtus & sapientia in huiusmodi sacrificeatione perfectissime manifestetur. Ac deniq; in ordine etiam ad offerentem hoc sacrificium, quantum in se est, significatimum valde religiosum erga Deum: & ad Christum maxime gratum, nam hic fit perfectissima quaedam professio diuinae potentiae & dominij in omnem creaturam, quam ad nutum voluntatis suae vnico verbo transmutare potest: fit etiam eximia quaedam confessio supremae excellentiae & maiestatis, quae tanta est, vt res infiniti valoris, ei debeat in sacrificium offerri. Fit deniq; grata commemoratio beneficiorum Christi, & charitatis erga humanum genus: est ergo sacrificium hoc in sua significatione perfectissimum. Omitto efficaciam & valorem, de quibus inferius dicendum est. Tertio, quod spectat ad honestatem virtutis: reperitur in hoc sacrificio conuictio bonae omnia, quae in aliis sacrificijs diuina reperiebantur, vt in superioribus tactum est, & nunc breuiter explicatur, nam in primis hoc est honorarium sacrificium, quod alio modo (holocaustum) dici solet, vt dicitur ex his, quae nunc diximus, satis patet: na prima ratio sacrificij est adtribuendum Deo honorem, illi proportionatum, quantum homo potest, ad huc autem finem aptissima sunt omnia, quae in hoc sacrificio intenterueniunt, praesertim principale offerens, res oblata, & modus offerendi: ex perfectione ergo eius satis constat, hunc esse primarium finem huius sacrificij, quod, & verbis, & factis, quantum potest, Ecclesia declarat in modo offerendi hoc sacrificium: nam hoc maxime pertinet ad perfectionem & sanctitatem ipsius. Secundo, est hoc sacrificium laudis & gratiarum actionis, vt eodem fere discursu facile ostenditur, & tradidit Trident. sess. 22. c. 2. idemq; docuit Dionys. c. 3. de Eccles. Hierarch. part. 3. & August. in Enchiridio. c. 209. & epist. 120. & lib. 20. cont. Faustum, cap. 21. & lib. 1. cont. aduersus leges & Prophetas. c. 18. vbi de hoc sacrificio exponit illud Pl. 49. Sacrificium laudis honorificabit me: dicens. Quod est sacrificium laudis, nisi gratiarum actio? aut vnde Deo maiores gratiae sunt agenda, quam per Christum Dominum nostrum? quod facit fideles Ecclesiae sacrificio. Hinc etiam Iren. l. 4. cont. haeres. c. 32. dicit: inuitiulle Christum

Christum huius sacrificij oblationem; ne nos ingrati esse Deo videremur: affertq; verba Malach. 1. Nomen meum glorificatur inter gentes & nomini meo offertur sacrificium purum: quæ verba ad priorem rationem sacrificij honorari applicari possunt. Addit deniq; Chryl. hom. 24. in 1. ad Cor. per hoc sacrificium specialiter esse laudandum Deum, propter tantum beneficium in ipsomet sacrificio nobis collatum. Tertio, est etiam propitiatorum hoc sacrificium, vt idem Conc. Trident. docuit, & August. epist. 59. & libro 1. contr. Crescon. c. 25. & ser. 31. de verb. Apostol. Cyp. libr. 1. epist. 9. Ambros. 1. Oficior. c. 48. Damasc. in sermone de defunctis (si tamen illius est) vbi etiam Athanas. refertur. Idq; ostendi potest, nam, teste Paulo, Sacerdotium ordinatur ad propitiandum peccatoribus iuxta illud ad Heb. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: in lege autem noua in institutum est perfectissimum Sacerdotium: oportet ergo, vt aliquod sacrificium propitiatorium illi respondeat, quod pro peccatis offerat, quod non est, nisi in mysterio Eucharistiæ, vt supra ostendimus. Tandem, quia hæc propitiatio est, per modum applicationis & efficaciam ex opere operato, magis declarabitur in his, quæ de efficaciam huius sacrificij postea dicemus. Et ex ibi dicendis constabit esse hoc sacrificium impetratorium: nam in eo repræsentatur passio Christi: & ideo aptissimum est ad impetrandum omnia bona, quæ passioe sua Christus nobis promeruit: nam, sicut Christus nunc in cælo pro nobis orans & passionem suâ Patri repræsentans, magna bona nobis impetrat: ita etiam per ministros suos sacrificiū hoc Patri offerens, suamq; passionem commemorans, idem impetrationis beneficium nobis confert. Sunt ergo in hoc vno sacrificio collecta bona omnia, omneseq; virtutis rationes, quæ in cæteris omnibus sacrificiis excogitari possunt, vt recte concludit Trident. in dicta sess. 22. c. 1. dicens. hanc esse hostiam: quæ per varias sacrificiorum naturæ & legitime pœre similitudines figurabatur, vtpote, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur: iuxta id. quod in Missa Dominicæ sextæ post Pentecosten, Ecclesia orat: Deus, qui legalium differentiam hostiarum, vnius sacrificij perfectione sanxisti. Qui modus loquendi Patribus etiam frequens est, vt patet ex Leone Papa, ser. 7. de passio. Aug. 20. contra Faustum lib. 17. de Ciuitat. cap. 20. Chryl. in Psal. 95. qui id colligunt ex eo, quod hic Christus offertur, qui per vetera sacrificia adumbratur, in eiusq; fide propitiatoria erant, & impetratoria. Neque contra hanc veritatem occurrit noua hæreticorum obiectio, quæ difficultatem ingerat præter eas, quæ in superioribus expeditæ sunt.

Ex his facile est, alteram partem huius sectionis expedit. Potest enim hoc sacrificium, vel cum sacrificiis veteribus, vel cum sacrificio, quod Christus per seipsum obtulit, conferri. In priori comparatione non est, quod denuo immoremur: satis enim ex dictis constat, non tantum singula, sed etiam omnia illa sacrificia in vnum collecta, ab hoc nostro infinite superari: tum in principali offerente & re oblata, quæ infinite est dignitatis: tum in modo offerendi, vt sæpe dictum est. Item, in efficacia ex opere operato, & in valore ad impetrandum, propter realem Christi præsentiam & oblationem. Deniq; quia excellentiori modo complectitur omnem honestatem sacrificij in illis diuisam, Solum videri possunt sacrificia vetera superare hoc nostrum in proportione quadam ad repræsentandum sacrificium cruentum Christi, quia illa etiam cruenta erant. Sed neque in hoc excellunt: quia illa significabant per alienum sanguinem; hoc vero per proprium Christi sanguinem, quem realiter præsentem continet: vnde illa proportio seu conuenientia in effusione cruenta valde materia-

Fr. Suarez, Tom. 3.

jis est, quæ puritatem legis gratiæ non decebat; sed alia magis mystica, quæ altior est, & à sensibus abstractior.

In secunda comparatione, si illa fiat cum sacrificio cœnæ, nulla fere est: quia ostensum est, esse sacrificia eiusdem rationis, & consequenter eiusdem essentialis perfectionis; quamuis in accidentali aliquo modo differant, & mutuo se excedant, vt ex dictis facile summi potest. Hinc est illud Chryl. homil. 2. in ep. 1. ad Timoth. Sacra ipsa oblatio, cuiusuis meriti Sacerdos illam offerat, eadem est, quam dedit Christus, nihil habet ista, quam illa minus, & c. Si vero comparatio fiat cum sacrificio cruento crucis, cum idem in vtroq; sit principale offerens, eademq; res oblata, simpliciter dici possunt hæc sacrificia æqualia, nam hæc duo capita sunt, ex quib. simpliciter pendet perfectio sacrificij. In reliquis vero se habet sicut excedens, & excessum: nam in genere mortis, oblatio crucis superatur in difficultate, & maiori quadam diuina dignatione. Assumpsit enim maxima mala pœnæ, quæ pro nobis obtulit, vnde ex hoc etiam capite, & ratione status offerentis, illud etiam sacrificium excessit in actuali merito & satisfactione. Tamen hoc sacrificiū excedit in modo oblationis, quia & fit per actionem magis supernaturalem, ac modo impassibili: & ideo sacrificium crucis magis aptum fuit ad operandam redemptionem: vtrumq; vero in ratione sua optimum est.

SECTIO III.

Vtrum ratio sacrificij Missæ potior & prior sit, ratione sacramenti.

Comparatio hæc fieri potest, vel ad rationem sacramenti in communi vel in particulari ad illam rationem sacramenti, quæ in mysterio Eucharistiæ reperitur. Priori modo vix potest comparatio fieri, cum illerationes, quasi genere differant, si formaliter sumantur præcise ac abstracte: si tamen considerentur, vt in his, vel illis rebus existere possunt, infinitam possunt recipere varietatem. Eo tamen modo, quo comparari possunt, iam supra in sinuauimus, ratione sacrificij, vt sic, altiore est ratione sacramenti: quia immediatius ad diuinum cultum, diuinamq; maiestatem & excellentiam significandum ordinatur, quamuis in particulari fieri possit, vt aliquod sacramentum propter mysteria, quæ continet, aut propter efficaciam, vel alias similes causas, excellentius sit aliquo sacrificio, vt constat de nostris sacramentis ad sacrificia vetera comparatis. Hoc autem de isto sacrificio dici non potest: quia certum est, non solum in formalis ratione sacrificij, sed etiam in excellentia ipsius rei, & mysterij, quæ continet, superare omnia sacramenta ab ipso realiter distincta: vt constare facile potest ex his, quæ supra diximus de excellentia mysterij Eucharistiæ super omnia alia sacramenta: nam illa manifeste procedunt de toto mysterio Eucharistiæ sub quacumq; ratione consideretur. Id quod euidentius constabit ex his, quæ statim addemus. Negari autem non potest, quin alia etiam sacramenta legis nouæ, excedat hoc sacrificium in efficacia gratiæ, vt infra videbimus: hic autem excessus est tantum secundum quid: oriturq; ex propria ratione sacramenti: ordinatur enim magis directe & per se ad personas sanctificandas. Omnia ergo generali comparatione, dicendum solum est de ratione sacramenti & sacrificij, prout in mysterio Eucharistiæ inueniuntur, quæ in tribus comparari possunt, scilicet, in prioritate durationis seu temporis, in dignitate seu perfectione, in ordine naturæ, seu causalitate: & de singulis breuiter dicemus.

Primo igitur de ordine durationis dicendum est, in mysterio Eucharistiæ, si propria comparatio fiat nullum esse ordinem durationis inter rationem sacramenti & sacrificij. Probat ac declaratur, nam, &

In cœna nobilissima Eucharisticum sacrificium oblatum sibi ipsi in Missa oblatio æquale.

Ordine durationis Eucharistiæ, vt sacramentum & sacrificiū, in æqualitate.



in sacrificio considerari potest sacrificatio, ac terminus per sacrificiationem effectus seu oblatus, & in sacramento considerari potest effectio sacramenti, & sacramentum iam factum (omitto vltimum sacramenti, qui extra rationem huius sacramenti est, & constat esse tempore posteriorem, tam ratione sacramenti, quam sacrificij, iuxta ea, quæ in præced. disp. tractata sunt) ut ergo proportionalis fiat comparatio, debet actio cum actione, & terminus cum termino comparari: sic igitur constat, sacrificiationem non solum simul tempore esse cum effectione sacramenti Eucharistia. sed etiam secundum rem, eandem actionem esse, & eadem ratio est de terminis: nam illa res, quæ est terminus huius actionis, & est res sacrificata, & sacramentum permanens. Quocirca, etiam si actione sub quacunq; ratione sacrificij, aut sacramenti in fieri, cum huiusmodi termino comparemus simul tempore sunt: neq; est proprie inter ea duratio ordinis: quia, licet exterior actio, quatenus fit per prolationem verborum, prius tempore incipiat, quam sit terminus seu sacramentum in facto esse: quia illa prolatio successiue fit, & sacramentum non incipit esse perfectum vsq; ad vltimum in latis prolationis, tamē actio propria & intrinseca, per quam fit terminus sacrificij, & sacramentum, non est successiua, sed vnico instanti perficitur, in eo sc. in quo prolatio verborum absoluitur: & ita in eo instanti simul est effectio & terminus, tam sacrificij, quam sacramenti. Solum est consideranda differentia, nam sacramentum potest aliquo modo dici essentialiter perfectum, eū primum vnus speciei consecratio absoluitur, sacrificium autem minime, donec vtriusq; speciei consecratio finiatur, ut vidimus. Atque hoc sensur dicitur potest sacramentum prius tempore incipere esse, quam sacrificium, saltem quoad essentiam sacrificiationis, quamuis non quoad rem oblatam, quæ tota incipit esse sub qualibet specie: neq; etiam quoad completam, & integrā entitatem sacramenti. Cuius differentia ratio est, quia ratio sacramenti in hoc consistit, quod significet & contineat Christum, vt cibum dantem vitam animæ, & spirituales refectionem & efficientem vnionem sui corporis mystici cum suo capite, & membrorum eius inter se: quæ tota significatio essentialiter reperitur in qualibet specie: & quamuis per duas pluribus modis fiat, illi tamen necessarij non sunt ad essentiam, sed tantum ad integritatem sacramenti. Sacrificium autē requirit mysticam maclationem, & expressam representationem mortis Christi: quæ in consecratione vnus tantum speciei non reperitur, vt supra declaratum fuit. Hac ergo ratione dici potest essentia sacramenti prius tempore perfici, quam sacrificium. Atque eadem ratione docent fere omnes vramq; speciem magis esse necessariam propter perfectionem sacrificij, quam sacramenti: ideoq; facilius posse vnā speciem ab altera separari in vsu sacramenti, quam in effectione sacrificij. Quin potius hinc fit, posse in rigore vsu sacramenti antecedere sacrificium essentialiter perfectum. Posset enim aliquis communicare, statim post consecrationem corporis, antequam sanguis conficiatur: posset, inquam ita vt factum teneret: nam licite non existimo fieri posse, moraliter loquendo: vt excludam casum ignorantia inuincibilis, aut si fortasse in aliqua necessitate extrema id fieri sine peccato posset: si tamen ita fieri contingeret, posset non solum vsus, sed etiam effectus sacramenti, antecedere perfectionem sacrificij, & effectum eius: quia, si sumatur digne vna species, statim datur effectus sacramenti: effectus autem sacrificij non datur vsq; ad consummatam essentiam eius per vtriusque speciei consecrationem. Quo fit, vt (secluso huiusmodi extraordinario euentu, qui moraliter nunquam accidet) effectus sacrificij ex se tempore antecedar effectum sacramenti: quia cum sacrificium consistat in actione, non habet vsu a se ipso distinctum: sed ipsamet

sacrificatio est vsus sacrificij, vt sit: & ideo statim, ac essentialiter efficitur sacrificatio, datur effectus sacrificij: nimirum cum primum absoluitur vtriusque speciei consecratio: at vero in hoc sacramento distinguitur vsus sacramenti: & effectus datur in ipso vsu, qui semper fit posterius tempore, quam consecratio.

Secunda comparatio proposita est in dignitate seu perfectione, quæ fieri potest, aut in esse rei, aut in eius virtute. Priori igitur modo, si comparatio cum proportione fiat, nulla fere hic locum habet: quia vt ex dictis patet, non solum est aequalitas, sed etiam identitas: nam eadem actio, quæ est sacrificatio, est effectio sacramenti, & eadem, quæ est res oblati, vt terminus sacrificiationis, est sacramentum in facto esse: sub hac igitur consideratione non potest vnus esse perfectius alio. Quamquam si sacrificium (vt solet) proprie sumatur pro actione sacrificandi, & sacramentum Eucharistia pro permanente, & iam facta, sic dici potest sacramentum perfectius, quam sacrificium eo modo, quo perfectior est terminus actionis, quam actio, per quam fit, sic autem etiam dicendum est, sacrificium hoc sumptum pro re oblati perfectius esse sacrificiatione & effectione sacramenti: est enim eadem proportio. Quod si obiter quæres, comparando sacrificiationem ipsam cum vsu sacramenti, quid perfectius sit: dicendum est, sacrificiationem esse perfectiorem: quia vsus sacramenti solum fit per localem applicationem sacramenti, sacrificatio autem fit per ipsam effectiōnem sacramenti: nobilior autem est sacramenti effectio, quam applicatio: tum in ipsa actione sensibili, quæ est locutio: tum maxime in supernaturali actione, per quam fit: quæ tam excellens, vt non solum applicationem sacramenti, verum etiam effectiōnem gratiæ sacramentalis, quæ ad illam applicationem consequitur, superat & euadatur: quia nobilitatem habet effectum, Christum sc. qui est totius gratiæ fons. Et hæc sufficiant de comparatione in esse rei.

Altera vero comparatio esse potest in esse virtutis, quæ non habet locum inter terminos, sed inter actus: & hoc modo iam diximus, sacrificiationem esse ratione formalis sua perfectiorem esse vsu & effectione sacramenti: si ergo hæc duæ rationes ad idem mysterium, cæteris parib; applicentur, perfectior etiam in illa erit ratio sacrificij: quod nihil aliud est, quam dicere, melius esse, consecrare corpus Christi in Dei honorem & cultum, quam in utilitatem fidelium. Propter quod dixit D. Th. supra q. 63. a. 6. cultum Deo pretiosissimum pertinere ad Eucharistiam, vt sacrificium est. Sed contra: nam etiam sacrificium ad nostrā utilitatem ordinatur, sc. vt aliquem effectum ex opere operato nobis afferat: quamquam in hoc minorem habeat excellentiam, quam eadem Eucharistia, vt sacramentum est: quia non dat gratiam sanctificatam, sed solum remittit poenam temporalem, vt infra videbimus: alioqui vero, etiam vt sacramentum esset, ad cultum Dei referretur, nam vsus eius ad religionē spectat: & vnio charitatis ac sanctificatio, quæ inde consequitur ad maximum Dei cultum pertinet: hæc enim est, quam Deus maxime intendit, & propter illam præcipue totum hoc sacramentum instituit: ergo pensatis omnibus, ratio sacramenti, & vsus eius perfectior est. Et confirmatur, quia ipsummet sacrificium, quodammodo ordinatur ad sacramenti vsu: hæc enim sacrificatio (quæ est ipsamet consecratio) procedit, vt per eam fiat panis vitæ, qui sit animarum cibis & refectio: ergo hic est finis maxime intentus ac præcipuus. Respon detur, in his actionibus, quatenus rationem studiosi actus habent (sic enim nunc à nobis considerantur) in primis respiciendū esse ad id, quod vnicuiq; actui ex suo proprio obiecto conuenit: & sub hac ratione, actio sacrificandi excellentior dicitur ex vi obiecti sui: quia per se & immediate ordinatur in cultum Dei, & significationem animi sub-

subiecti & grati erga ipsam: quæ ratio honestatis maxima est inter omnes morales: nam ipsa nostra sanctificatio ordinari debet ad Dei gloriam, vt in finem, & ideo ratio sacramenti, vt sic, non est tam perfecta, neq; tam proxime ac perfecte continet cultum Dei vt sic. Neque refert, quod ex opere operato effectus sacramenti maior, vel melior sit: nam hoc non pendet ex honestate actionis, sed ex institutione Christi, qui voluit, & instituit, per actum minus nobilem in ratione virtutis, maiorem effectum dare: quamquam hoc ipsum sit sub controuersia: non enim est certum sacrificium vt sic, non dare gratiam ex opere operato: & præterea constat, posse impetrare illam: & aliunde etiam superare in ratione causæ, quia saltem per hunc modum impetrationis, quoslibet effectus gratiæ obtinere potest: & non solum sumentibus prod-est, vt sacramentum, sed etiam aliis, vt postea videbimus. Ad confirmationem responderetur, sacramentum proprie ac per se loquendo non esse finem sacrificij: nam per se solum tendit ad rem oblatam vt sic: quasi materialiter vero inde fit, quod eadem res, quæ fuit terminus sacrificij, aptissima fuerit, vt ad vsum sacramenti institueretur.

per sensibiles species significetur, in quo ratio sacrificij includitur. Nec satisfacit dicere, Christum significatum per species, esse rem oblatam in sacrificio: non tamen, vt sic, seu quatenus significatur: & ideo necessarium non esse, vt species quatenus significant, pertineant ad rem oblatam in sacrificio: hoc (inquam) non satisfacit, quia Christus non est res oblata in hoc sacrificio, nisi quatenus sit aliquo modo sensibilis per species: non sit autem per eas sensibilis, nisi quatenus per eas significatur, vt res sub illis contenta, in quo ratio sacramenti perficitur: ergo ab illis speciebus pertinentibus ad rem oblatam non potest excludi ratio sacramenti, seu signi, quia non agimus de signo in actu, sed de aptitudine & impositione. Neq; hoc est conueniens, quia, quod res oblata dicatur hostia, vel sacrificium, solum addit habitudinem, seu denominationem ex actione sacrificandi sumptam: non est autem vllum inconueniens, quod sicut res mere sensibilis, vt agnus verbi gratia denominatur hostia ab actione offerendi: ita etiam res mystice sensibilis, quæ in se est sacramentum, denominetur hostia, seu sacrificium ab actione offerendi. At vero, si loquamur de sacrificio pro actione sacrificandi, sic non constituitur intrinsece ex ratione sacramenti: sed dicitur habitudinem ad Eucharistiæ sacramentum: tanquam ad rem oblatam, quod nullum est incommodum: quia hæc habitudo eiusdem rationis est cum illa, quam qualibet actio sacrificandi dicit ad rem oblatam, tanquam ad materiam, vel terminum suum.

Secunda difficultas est, quia sequitur, sacramentum Eucharistiæ posse re ipsa separari à sacrificio per intentionem consecrantis, quia sacrificium necessario supponit sacramentum, & addit aliud: potest ergo minister intendere, verum efficere sacramentum consecrando panem in vsum fidelium, non intendendo per eam actionem sacrificare Deo; imo includendo omnem intentionem cultus, sicut nunc faciunt Lutherani, & alij hæretici huius temporis, qui nullo modo volunt sacrificium efficere, sed cœnam Dominicam, vt ipsi aiunt: qui si supponamus, eos vti vera materia & forma, & esse veros sacerdotes, & habere sufficientem intentionem conficiendi sacramentum, reuera illud efficient, non obstante quocunq; errore priuato: non tamen efficient sacrificiū: quia, sicut sacramentum confici non potest sine intentione ministri, ita neque sacrificium offerri. Respondetur primo, fortasse nullum esse inconueniens totum hoc concedere, nam Doctores omnes, qui ponunt rationem sacrificij in sumptione, vel in aliqua alia actione, quæ post consecrationem fiat, necessario concedent, posse re ipsa separari consecrationem sacramenti à sacrificio, si minister iniquus velit consecrare, & nullam postea actionem efficere ad offerendum sacrificium: quia, cum actiones illæ, non tantum ratione aut intentione, sed etiam duratione distinguantur, facile poterunt separari, vel ex voluntate ministri, vel ex impotentia, si causa accidat, post consecrationem non posse reliquas actiones efficere. Sicigitur, quamuis nos dicamus, consecrationem sacramenti, & oblationem sacrificij, realiter idem esse, tamen, cum ratione formali distingui possunt, vt D. Thom. supra citatus significat: non est inconueniens, concedere rationem sacrificij, quæ posterior est ordine executionis, posse per intentionem ministri separari à ratione sacramenti, ita vt factum teneatur, quamuis male fiat. Secundo, & fortasse probabilius negatur Sequela: nam ex institutione Christi hæc consecratio, & oblatio sacrificij, ita sunt necessario coniuncta, vt posita vna non possit minister voluntate seu intentione sua aliam auferre: sicut substantia sacramenti & effectus eius ita sunt connexa, vt non possit minister intentione sua impedire effectum, si reuera habuit voluntatem conficiendi sacramentum. Quod quidem ita esse in præsentia declaratur, nam, si minister reuera intendat conficere hoc,

Natura ordinis terminis, actionem ad sacrificium, & sacramentum æqualia.

Ordinatio terminus sacrificij, & sacramenti executionis posterioris sacramenti.

Dubio sitis.

Qui sacramentum Eucharistiæ sub duobus speciebus conficit, veli, cum offerat, ut non possit minister intentione sua impedire effectum, si reuera habuit voluntatem conficiendi sacramentum. Quod quidem ita esse in præsentia declaratur, nam, si minister reuera intendat conficere hoc,

Difficultas soluitur.

Sed supersunt duæ difficultates: Prima est, quia ex dictis sequitur, rationem sacrificij essentialiter includere rationem sacramenti, quod videtur impossibile quia hæc duæ sunt rationes specificæ, & vltimæ, ac omnino diuersæ, quarum vna non potest aliam contrahere: ergo nec potest vna esse de essentia alterius. Respondetur, si sacrificium sumatur pro re oblata, sacrificium includere rationem sacramenti, quia de ratione eius est, vt sit sensibilis, & consequenter, vt Franc. Suarez Tom. 3.

facramentum, nihilq; directe velit, quod substantiali intentioni consociendi sacramentum contrarium sit, consequenter necesse est, vt velit proferre verba in persona Christi, qui est principale offerens in hoc sacrificio: ergo quamuis ex priuato errore putet, se non offerre sacrificium, aut ex iniquitate nolit cultum Deo exhibere, tamen ex generali intentione necessario offert; vel potius est instrumentum, per quod Christus offert, & cultum Deo exhibet: quamuis ergo priuata intentione excludat personalem cultum, non tamen ministerialem, maxime cū necesse sit, vt formali vel virtuali intentione velit facere, quod Christus fecit, & instituit. Quod præterea exemplo declaratur, nā, si Regis legatus in nomine & persona Regis Pontifici exhibeat honorem, factis ac verbis Regis personam representans, quamuis ipse in propria persona nolit Pontificem colere, nihilominus, vt minister alterius re ipsa id præstat: quia ad hoc sufficit faciendi ministerium; quod in persona alterius fit per actiones & verba illi intentioni accommodata: sic igitur contingit in presenti, & ideo illa consecratio est etiam sacrificatio, & intentio necessaria debet esse ad vtrumque sufficiens, quia priuatus error, non abstrulit absolutā voluntatem faciendi, quod Christus instituit.

DISPVATIO LXXVII.

De offerentibus Eucharistia sacrificium.

Dispositio de sacrificio.



**D**iximus in superiorib. quatuor necessaria in omni sacrificio, sc. quod, & cui offertur, qui offert, & pro quo offertur. Ex quibus duo priora explicata iam sunt: quia connexa sunt, cum essentia sacrificij, quam hætenus tradidimus: quia iam exposita cum principis intrinsicis sacrificij, reliquum est, vt causas eius extrinsecas declaremus; ad quas alia duo posteriora pertinent, nam, qui offert, causa est efficiens sacrificij, de qua hic dicemus: is autem, pro quo fit oblatio, ad causam finalem reuocari potest: de qua dicemus disputatione sequenti.

SECTIO I.

Vtrum Christus Dominus sit principalis offerens in hoc sacrificio.

Quorūdam placitum.

Scotus. Gabriel. Cordub.

**Q**uidam Theologi negasse videntur, Christum proprie in hoc sacrificio offerre: sed Sacerdotis oblationem illi attribui, solū remote, quia oblationem huius sacrificij instituit, & iuxta eius voluntatē & præceptum offertur: & præterea, quia merita eius in hoc sacrificio operantur. Ita videtur tenuisse Scotus, quod lib. 20. & Gabriel. lect. 26. & 27. in Canon. & Cordub. libr. 1. quæst. Theolog. quæst. 3. circa opinionem secundam & quintam. Quæ opinio ita probari potest, quia Christus Dominus, neq; interna intentione, neque externa actione, actu semper offert, quoties Missæ sacrificium offertur: ergo nullo modo nunc offerat tanquam offerens, seu causa aliquo modo per se: ergo solus Sacerdos offert per potestatem sibi datam à Christo & iuxta ritum ab eo institutum: Christus autem solum denominatione extrinseca, & vt causa remota ac per accidens, poterit denominari offerens. Antecedens, quoad priorem partem de oblatione interna, probatur: quia gratis & sine fundamento fingeremus, Christum semper nunc esse attentum, & quasi sollicitum, vt semper habeat actualē intentionem offerendi in singulis Missis: Non enim (vt ait Paulus ad Hebræos 9.) in manu facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, neq; vt sepe offerat semetipsum. Quoad secundam vero partem de actu externo, sine quo sacrificium sensibile esse non potest, patet: tum ex eisdem verbis Pauli: tum etiam, quia tota actio externa à solo Sacerdote

fit. Quod argumentum maxime procedit, si verum est, Sacerdotem non formaliter, sed tantum materialiter, verba consecrationis proferre. Vnde confirmatur: quia non aliter Christus hic offert, quam baptizare vel absolueri dicatur: Christus autem non baptizat proprie & per se, sed solum per accidens extrinseca denominatione: quia ab illo est virtus & institutio Baptismi: ergo idem est in presenti dicendum.

Dico primo; Christus Dominus est summus Sacerdos, qui principaliter offert sacrificium Eucharistia: quando cunctis & vbicunq; offertur. Hæc assertio ita simpliciter sumpta, certa nunc est, quam D. Thomas hic docuit: ad 3. & quæ præcedente, art. 7. ad 3. & in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 1. vbi ceteri Theologi, & Alber. libr. 3. de Euchar. à c. 5. & Simeon Thellal. libr. de mysterijs Eccles. cap. 4. 4. quem refert Turrianus, qui hanc etiam veritatem docet, lib. 4. pro Epistolis Pontific. cap. 1. & in Schol. ad Clem. lib. 3. constit. c. 12. Linden. libr. 4. Panopl. c. 41. Bellarm. libr. 1. de Miss. c. 4. & c. 5. probatur primo ex Scriptura sacra, tum, quia Christum appellat æternum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui ordo in oblatione huius sacrificij completitur, & exercetur, vt in superioribus explicatum est: & ponderant Ansel. Theoph. & Occumen. quia non potuit dici Christus Sacerdos æternus propter solum hostiam, quæ in cruce peracta est: sed, quia nunc perpetuo sacrificat per Sacerdotem offerentes: tum etiam, quia Paul. in Epist. ad Heb. differentiam constituit inter legem nouam & veterem: quod in illa plures erant Sacerdotes secundum illud tempus offerentes: nunc autem vnus est Sacerdos æternus, cui nullus succedit: sed reliqui omnes sunt ministri eius: sentit ergo Paulus, nunc etiam Christum offerre per Sacerdotes: alioqui, si Christus omnino ab hoc munere cessasset, nulla esset differentia in Sacerdotum pluralitate inter legem veterem, & nouam. Et iuxta hanc veritatem interpretatur Paulum fere omnes expositores, Chrysost. homil. 17. ad Heb. Theoph. ad Heb. 5. Haimo 6. Anselm. 10. Secundo insinuat hanc veritatem in Conc. Lateran. in c. 4. Firmiter, de Summ. Trinit. & fide Cathol. quatenus in eo dicitur, Christum in hoc mysterio esse simul Sacerdotem & sacrificium: & in Conc. Florentin. in decret. Eugen. quatenus ibi dicitur Sacerdotes cōficere hoc mysterium in persona Christi. Clarius hoc docuit Tridentin. sess. 22. cap. 1. & 2. dicens eundem Christum, qui in cœna & in cruce obtulit, esse in hoc mysterio principale offerentem: ideoque propter Sacerdotum offerentium iniquitatem, mundam hæc oblationem inquinari non posse. Tertio probatur ex Patrum traditione. Iren. li. 4. contra hæres. c. 32. & 24. Per Iesum Christum (inquit) offert Ecclesia. Cyr. Ep. 63. Sacerdos in altari vice Christi fungitur, & sacrificium verum ac plenum Deo Patri offert. Idem innuat Euseb. lib. 1. de Demonst. c. vlt. August. 4. de Trinit. c. 7. & 14. & lib. 20. de Ciuitat. c. 20. Christus ipse offerens, ipse est & oblatio: cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium: Ambr. 1. offic. c. 48. & super Psal. 38. Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. Optimè Chrysost. hom. 53. in Matt. Qui tunc in illa cœna consecravit, ipse nunc quoq; operatur, &c. Et hom. 2. in 2. ad Timoth. hom. 17. ad Hebr. hom. 60. ad popul. & homil. de prodit. Iudæ. Cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extendam. & in Liturg. Ipse est, qui offert, ipse, qui offertur.

Quarto argumentor ratione, quia Christus nunc potest semper offerre, vt principale offerens: ergo offert. Antecedens patet, quia nunc etiam est verus Sacerdos, & intercedit pro nobis, & omnia semper prospicit: nihil ergo cum impedit, quominus possit semper offerre. Prima vero consequentia probatur: tum quia non est, cur Sacerdos dignissimus perpetuo vacet